

232

Illæ sunt, quarum terminus realiter per eas productus est in ipso DEO, cujusmodi actiones duæ tantum sunt, Generatio nempe & Spiratio. Hæ verò sunt, quæ extra Deum ad creaturas sermantur & in illis recipiuntur. Cum igitur, ceu ex jam dictis liquet, actiones ad intra sint sola Generatio & Spiratio, concursum DEI cum creaturis actionum ad extra, non verò ad intra, censui accensendum esse oppidò patet. Tantum enim abest, ut ejus terminus in DEO sit, ut potius ipsa actio extra DEUM ad varios causarum secundarum effectus transeat, & ab illis recipiatur.

§. 23. Secundo, ut satis faciamus, affirmamus omninò, Concursum causæ primæ cum secundis immediatum esse. Quandoquidem autem, ceu omnibus, qui vix primordiis labiis principia Metaphysica degustarunt, liquet, causa immediata dupliciter dici potest; vel ratione suppositi, vel ratione virtutis: (illa est, inter quam & effectum seu patiens nullum aliud suppositum interuenit; hæc verò, quæ virtute sibi inexistente agit, vid. B. Stahl. in Tab. Metaphys.) concursum Dei immediatum esse immediatione, tam virtutis quam suppositi asserimus: Ea quidem, quia Deus agit virtute maxime sibi propria & inexistente; hæc vero, quia inter ipsum & causarum secundarum effectum nullum aliud suppositum, interponitur.

§. 24. Concursum Divini latitudinem tribus ut exsequamur bolis, ad omnes omnino creaturarum effectus eum sese extendere, mens nobis stat inconcussa. Nec est, quod nobis obtrudas, hac ratione in purissimum Numen quandam peccati labem redundare, cum posito Deum ad omnia, quo tandem nomine veniant, concurrere, non possit non ad actiones hominum peccaminosas quoque concurrere, adeoque peccati culpam sustinere; statim enim occurrit (alia ut jam taceamus) distinctio inter

C

ter